

## ARTICULUS II.

AD ORDO HIERARCHICUS MINISTRORUM ECCLESIE SIT JURE DIVINO, EX INSTITUTIONE CHRISTI A LAICORUM STATU DISTINCTUS?

18. *Nota.* Hierarchia Ecclesiastica spectari potest 1<sup>o</sup>. comparative ad se ipsam; 2<sup>o</sup>. comparative ad laicos. Unde duplex consurgit quæstio. *Prima*: utrum intra ipsam Hierarchiam unus gradus differat ab altero, sitque illo jure divino superior? quam, quantum ad Hierarchiam jurisdictionis pertractatam habes Tract. de Principiis Theologicis, ubi de Primatu Romani Pontificis; tum amplius intelliges ex sequentibus, ubi de excellentia Episcoporum, uti pariter quantum concernit Hierarchiam ordinis. *Alter*, quæ hic specialiter in Protestantium gratiam pertractanda venit: utrum totus hierarchicus ministrorum Ecclesiæ ordo sit immediate ex jure divino, sive Christi instituentis ordinatione ab illo laicorum distinctus, itaque constituat statum a laico penitus separatum? Pernegant hoc Protestantes hodie omnes, juxta dicta num. 8. non aliud inter ministros et reliquum populum discrimen agnoscentes, quam ut, si qui eo deputati fuerint a communitate, magistratu vel principe, quibus a Christo immediate concessam potestatem sacram volunt, soli habeant et merum potestatis ita delegatæ usum, nudumque ministerium. Recole, quæ num. 8. de illo Protestantium systemate diximus.

19. *Dico.* Ordo hierarchicus ministrorum Ecclesiæ jure divino, ex prima institutione Christi, a laicorum statu distinctus est. Est de fide; ut constat ex Tridentina Synodo, quæ postquam Sess. 23. cap. 1. et 2. plurimum ministrorum necessitatem ex Eucharistiæ celebratione asseruisset, ita definit Can. 6. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anathema sit.*

*Prob. I.* Ex Testamento veteri, in quo Tribum Levi sibi inter cæteras selegit Deus, quæ sola perageret sacrificia et sacra obiret munia, ut tum sacerdotium, ipso ita ordinante Deo, esset a reliquo Hebræorum populo omnino separatum; nec cuiquam alteri extra eam Tribum esset licitum se sacris immiscere. Unde Saul reprobatus 1. Reg. 13. Ozias lepra percussus Paral. 26. Core, Dathan et Abiron terra absorpti Num. 16. quod, cum essent ex aliena Tribu, in sacerdotalia munia involassent. Hinc quoque speciali ratione dicuntur esse Dei: *ego tuli Levitas... eruntque Levitæ mei.* Num 3. Speciali ritu debebant consecrari Deo, Exod. 29. Num. 8. 13. Et ipse Dominus eorum sors et hæreditas dicitur, Deut. 18. 2. Ergo id magis verum esse debet de ministris Ecclesiæ; quod a reliquo fidelium populo divina ordinatione Christi suam instituentis Ecclesiam distincti sint. Consequentia est Apostoli, cum enim 2. Cor. 3. dixisset: *Qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti non littera sed spiritu,* ministerium Evangelicum ministerio veteris legis ita præfert: *si ministratio mortis fuit in gloria... quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?*

20. *Prob. II.* Ex Testamento novo varie. Nam 1<sup>o</sup>. ut olim Testamento veteri Deus ipse leviticam Tribum, ita in Testamento novo Christus ipse elegit Apostolos Luc. 6. 13. *Misit amplissima donatos potestate: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* Joan. 20. 21. Speciali ritu potestatem ipse per se confudit, inque ministros Evangelii inauguravit, insufflando et tradendo Spiritum sanctum. Ibid. 23. Ita vero haud dubie illos a reliquo cœtu segregavit. Similiter præter Apostolos *designavit* alios septuaginta duos, Luc. 10. 1. illosque misit minore potestate præditos.

2<sup>o</sup>. Apostoli se passim vocant ministros Christi, 1. Cor. 4. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* 2. Cor. 3. 6. *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Aiunt sacerdotes a Deo vocari debere: Hebr. 5. 4. *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Episcopos a Spiritu sancto esse positos, ut regant Ecclesiam Dei Act. 20. 28. *Attendite vobis et universo gregi; in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* non Ecclesia tunc recens ab Apostolis collecta, non magistratus, non populus; sed Spiritus sanctus a quo acceperant potestatem ordinis et jurisdictionis, non solum ut *docerent*, sed etiam *regerent* Ecclesiam Dei.

3<sup>o</sup>. Apostoli, vi potestatis a Christo acceptæ Joan. 20. speciali ritu impositionis manuum ministros consecrarunt, 1. ad Tim. 4. 14. ad Timotheum, quem Apostolus Episcopum ordinaverat, *Noli, inquit, negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii,* h. e. ait S. CHRYSOST. ad eum locum, *Episcoporum,* vel *Episcopopalium,* substantivo posito vice adjectivi; et colligitur ex 2. ad eumd. Tim. 1. 6. *Admoneo, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Porro Titus a Paulo jussus pariter ordinare presbyteros ad Tit. 1. 5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Ac demum

4<sup>o</sup>. Sic primos septem diaconos, sibi a fidelibus licet oblatos, de quo artic. seq. ipsi tamen in ministros ordinarunt Apostoli: *et orantes imposuerunt eis manus,* Act. 6.; ex qua eorum inauguratione, illicque inaugurationis ritu merito conficitur, non fuisse illos tantummodo constitutos temporalis mensæ ministros, et ad distributionem eleemosynarum et communium bonorum Ecclesiæ (quanquam et ad hoc instituti fuerint, ut colligitur ex Act. 6. et inquit S. LEO serm. 85. al. 83. de S. Laurentio.) sed et ad spirituale ministerium; atque inde patet, quod Apostoli voluerint esse *plenos Spiritu sancto,* tum quod eodem et sequenti cap. spirituale exercuerint ministerium; Stephanus disputando et habendo concionem ad populum; Philippus baptizando atque evangelizando: sed maxime id evidens fit ex 1. Tim. 3. ubi quales diaconos esse oporteret, docet Apostolus: *Diaconos, inquit, similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes Mysterium fidei in conscientia pura.* Ac de iis subjungit: *Et hi autem probentur primum, et sic ministrent... Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, et multam fiduciam in fide.* Quibus indicat, illorum ordinem inferiorem esse Episcoporum et